

*Der Knappe Otto Stake verkauft dem Kloster Cismar das halbe Dorf Lendest für 650 Mark Lübsch.*

In nomine domini amen. Coram vniuersis cristi fidelibus presencia visuris seu auditoris, et coram honestis viris infrascriptis. Ego Otto dictus stake armiger, Recognosco pro me et meis veris heredibus quod de consensu omnium qui debuerunt et commode potuerunt interesse vendidi et tenore presencium vendo, Religiosis viris et dominis, Domino . . Abbati et conuentui in Cysmer, ordinis sancti Benedicti lubicensis dyocesis dimidiam villam meam lendest sitam in parochia Grobenitze lubicensis dyocesis perpetuo possidendam, Cum agris cultis et incultis ad ipsam dimidiam villam spectantibus, Cum lignis, pratis, pascuis, paludibus, viis et inuis cum omnibus edificiis excepto granario meo. et exceptis solutis lignis in curia mea iacentibus, cum omnibus prouentibus vtilitatibus pertinentiis, cum omnibus terminis suis, Cum omni Iudicio maiori et minori cum quibus eandem dimidiam villam hactenus in quieta possessione habui, et mea fuit et sicut hactenus eadem bona tenui in pheodo a domino meo, Domino . . abbate supradicto, quod inquam pheodum ad manus dicti domini . . abbatis resignaui et presentibus resigno, vacuam possessionem eiusdem dimidie ville Domino . .

abbati et conuentui supradictis tradidi et trado pro precio sexcentarum Marcarum, et quadraginta Marcarum denariorum Tubicensis Monete, quas recognosco me a prefatis Domino . . abbate et conuentu integraliter recepisse. Renuncians in hiis scriptis simpliciter et de plano, omni exceptioni doli et mali, ac omnium illorum per que in futurum huiusmodi contractus in toto uel in parte de Iure uel de facto possit quomodolibet impediri. Insuper et Ego Otto stake arbitror me in hiis scriptis et sigilli mei appensione supradictis Dominis . . abbati et conuentui dicta bona sicut de Iure teneor et debeo a festo beati Martini episcopi et confessoris iam preterito warandare ac eadem bona ab omnibus uolentibus ea iuste inpetere sicut de Iure teneor defendere. et disbrigare me promitto. et ut omnia suprascripta firma sint et inuiolabiliter obseruentur honestos viros infrascriptos pono pro me fideiussores. et Nos Iohannes stake frater dicti Ottonis, Hasso parsowe Milites, volradus solder, Detleuus de swinecule, Hinricus Clutzehouet filius Hinrici de lendest, Nicolaus de spina armigeri, Neonon Marquardus filius dicti ottonis, quia careo sigillo, rogati a dicto Ottone, et filio suo Marquardo iam pretacto, et amicablem induci. ac de Iussu eorum vna cum eis promittimus nos in hiis scriptis insolidum et manu coniuncta uelle omnia supradicta seruare sicut de Iure debemus et tenemur, cum a dictis, Domino . . abbate et conuentu fuerimus requisiti, quod sigillorum nostrorum appensionibus protestamur. Et quod hec omnia supranotata legitime et racionabiliter acta sint. Nos Emeke de zantberghe, otto woszeke, Marquardus de zantberghe milites, Hinricus dictus dameshouet armiger Boytin aduocatus domini nostri Comitis Iohannis in oldenborg pro testimonio sigilla nostra vna cum sigillis supradictorum fideiussorum presentibus duximus apponenda. Acta sunt hec et data in hoghensune. anno Domini. M<sup>o</sup>. CCC<sup>o</sup>. XXX<sup>o</sup> Nono. feria tertia post festum beate lucie virginis.

*Original im Staatsarchiv zu Schleswig. Über den Siegeleinschnitten die Namen: Otto. Iohannes stake. Hasso parsow. volradus solder. detleuus swinecul. clutzehouet. Nicolaus de spina. Emeko zantberch. otto wussek. marquardus zantberch. dameshouet. boytin. Siegel 2, 4, 6 erhalten.*